incolumis et leto apparens admirationem intulit et stuporem. Sed et ipsorum mentes ad beati patris reverentiam et amorem tam exemplo sui quam miraculo excitavit.

Quidam de castro ceperani nomine nycholaus in manus inimicorum crudelium incidit die quadam. Qui crudelitate ferali vulneribus ei sic vulnera concidentes usque adeo sic miserum sevierunt donec vel extinctum crederent vel protinus extinguendum. Clamaverat autem nycholaus predictus cum primos ictus exciperet alta voce. ~~Succurre~~ Sancte francisce succurre michi. sancte francisce adiuva me. Hanc vocem a remotis audierunt quam plurimi. licet auxilium ferre non possent. Deportatus tandem domum totus suo sanguine volutatus fiducialiter asserebat se mortem ex illis vulneribus non visurum. nec etiam se tunc sentire dolorem. quoniam sanctus franciscus sibi succurrerat et ut penitentiam ageret a domino impetrarat. Quod et sequens confirmavit eventus. Nam loto a sanguine continuo contra humanam spem extitit liberatus.

Filius cuiusdam nobilis in castro sancti Gemini